Israel, Jacob Meyer
Frankfurt a/d. O.

DE HYPOCHONDRIACO MALO MONITA QVAEDAM

PRAESIDE

BERNHARDO CHRISTIANO OTTO,

PHIL. ET MED. DOCT. MEDIC. PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETAT. PATRIOT. OECONOM. SILESIAC. ET MARCH. BRANDENBVRGENS. PHYSIOGRAPH. LVNDENS. ET NATVR. SCRVTAT. BEROLINENS. ATQVE HALENS. SODALE, ORDINIS MEDICI H. A. DECANO,

A. D. V. MARTII cIↄIↄccxcviii.

1798

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM LEGITIME CAPESSVRVS PVBLICE DEFENDET

IACOB MEYER ISRAEL

WITTSTOCKIENSIS - MARCHICVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

Frankfurt a. d. O.

VIRO

ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO

DOMINO

de BRESEMANN

IN

AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS

EXERCITV

COHORTIS EQVITVM

de MALSCHITZKY

SVMMO VIGILVM PRAEFECTO

HVNC

ACCADEMICVM LIBELLVM

IN

PERPETVAE REVERENTIAE

ET

PIETATIS DOCVMENTVM

CVM

OMNIGENAE PROSPERITATIS

VOTO

D. D.

IACOB MEYER ISRAEL.

PRAEMONENDA.

Tantus eſt aegritudinum numerus, quae ob aliquam forte phaenomenorum ſimilitudinem mali hypochondriaci titulo vulgo inſigniuntur, vt haud raro accidat multos, qui toto coelo a ſe inuicem diſcrepant corporis animique adfectus morboſos eodem hoc morbi genere conciliari.

Neque vero tanta eſt clariſſimorum auctorum de vera mali indole diſſenſio, quantum morbi nomine abutuntur, qui leuioribus incommodis idem competere autumant, nulla cauſſarum ratione habita diriſſimum malum non ſatis aeſtumantes. Quo fit, vt quibus feliciſſime curam abſoluere gloriantur, remediis iisdem

iisdem genuiuum morbum frustra oppugnes, eaque quam tanto promittunt hiatu incassum methodo vtaris.

Ob miram denique morbi faciem infelix mos obtinuit, qua plurimi alienatae ex quacunque caussa phantasiae ludibria, et quae modo praeter rationem aguntur hypochondriaco malo comprehendere non erubescunt, vt pudeat miserrimos ex corporis vitio aegrotantes se illis adnumerari, qui morbo ficto laborare turpiter accusantur, scilicet, ne in eos cadat illud: risum teneatis amici.

Haec et similia meditatus cum aliquod diligentiae specimen maiorum mores edere postularent, in academieo libello paullo amplius exponere consilium cepi. Liceat igitur tecum comunicare L. B. qualem de morbo hypochondriaco ideam formare fas esse putamus. Symptomata enumerabimus, quibus ab aliis eum medicorum schola distinxit, tum dicemus, quaenam illorum genuino hypochondriaco malo potissimum respondere iudicamus, deinde, quae aliorum morborum communia erronee ad hunc translata sunt, ad differentiam eius constituendam minus valeant, aut prorsus illi non competunt.

§. 1.

Num antiquum ſit morbi genus.

Singula quidem iam apud veteres mali variegati ſigna occurrunt, neque vero ὑποχονδρίακον illorum και φυςωδες νοςημα omnia ſymptomata amplecti videtur, quibus hoc morbi genus locupletauit ſerior aetas.

Accuratiſſime ſaltem hypochondriacae affectionis imaginem adumbraſſe Dioclem Caryſtium, vt aliis placet, vix dicere audeam, quum ipſe, vt par eſt, a Galeno reprehenditur, praecipua ſigna omiſiſſe, quae morbum diſtinguunt *)

Plurima

*) GALEN. d. loc. affect. lib. III.

Plurima autem et praeſtantiora quae de atrabilariis morbis veteres docuerunt ad noſtrum aptiſſime teferri poſſe nulli dubitamus, ſi quidem id quod ex aliorum et noſtra obſeruatione didicimus ideae proxime accedit, quam de iſtorum morborum ſignis et cauſſis Graecorum medicorum placita exhibent, quorumque multa egregie cenſuit in libro quam de morborum antiquitate conſcripſit GRUNERUS vir doctiſſimus.

§. II.

Symptomata morbi.

Quantum vero in phaenomenorum interpretatione a veterum ſententia receſſerint recentiores, tantum tamen non diſcrepant in ſymptomatum recenſione, ad quorum ſyndromen vtrique adtulerunt quae vulgo tribuntur morbo, quem ab hypochondriis denominarunt, propterea, quod

in

in hac cotporis regione ſemper eſt eius aut quod aliis placet, ſaltem eſſe videtur fons et principium morbi.

At quae omnibus fere qui hanc materiam tractarunt praecipua dicuntur ad diagnoſin facere ſymptomata haec ſunt:

Hypochondriorum inflatio, tumor, tenſio, oris ventriculi ardor, ſpasmus a paſtu recrudeſcens, mala ciborum concoctio, et concoctionis moleſtia inſignis ab ingeſtis flatuoſis, pinguibus fermentationi repentinae obnoxiis, acidorum, fraceſcentium et putridorum ructus, vomitus, nauſea, ſputatio frequens, anorexia aut auida quinimo canina appetentia, a flatuum retentione borborygmi et tormina ventris, aut crebra flatuum cum leuamine extricatio, aluus aut arida adſtricta, excretio tarda ſcybalorum luto pituitoſo aut atrabilario circumfuſorum,

aut

aut nimis liquida et profusissima. Renum et vesicae dolores fugitiui, mictus aut frequens vrinae copiosissimae, aut morbo vrgente saepe difficilis lotii pallidi, tenuis paucissimi.

Dum malum exacerbatur, cordis palpitationes, spiratio difficilis, spasmodica laryngis affectio, anxietas, pulsus inaequales, extremarum partium frigus inprimis pedum, calor internus praecipue capitis, cephalalgia, hemicrania, et quem sexus sequioris familiarem esse dicunt, clauus hystericus. Faciei color plerumque pallidus mutabilis interdum ruber, floridus, sensuum obnubilatio, aurium tinnitus, oculorum caligo dentium stupor, vertigo apoplexiam minitans fibrarum muscularium motus oscillatorii conuulsiui et temporanea quasi neruorum resolutio. Vniuersi tandem corporis languor torpor, macies.

Animi

Animi vehemens perturbatio, deiectio, moeror, terror, inquietudo et ob morbum proprium follicitudo perpetua.

At corporis inftar paffionnm, mentis pathematum viciffitudo, adeo vt exfultantis laetitiae haud raro in profundam maeftitiam et irae excandefcentis in metum fit tranfitus. Omnium denique oblectamentorum taedium et folitudinis amor, vnius eiusdemque ideae volutatio, denique fine febre delirium.

§. III

Symptomatum aeftumatio.

Verum autem quum ex hac fymptomatum congerie ea fit morbi facies, quae aliorum aegritndinum fpecie admodum fallit, intereft omnino ex illorum catalogo ea cenfere, quae ad genuinum affectionis hypochondriacae characterem accuratius defignan-

nandum proxime ducunt.

Ergo incipientis mali ſymptoma primarium ſtatuendum eſt moleſtus ille circa praecordia ſenſus ponderis grauantis, quem quidem nunquam penitus ceſſare, ſicuti in affectu ſpasmodico fiat, nullum medicorum adeo diſtincte docuiſſe memini, niſi egregium ſummi Boerhavii commentatorem *).

Vtcunque a paſtu augetur moleſtia, praeſertim cum cibis potulentisque aeger vſus eſt flatulentis qui valida concoctione indigent, vt in laudabilem humorum indolem mutentur. Neque vero ab his omnis moleſtia pendet, neque obliuiſci licet, ieiunos quoque ab hypochondriaſi vario modo affici. Tamen ne miſerrimos quidem omnes

nec

*) G. v. Swieten Comment. Tom. III. p. 483.

nec acidum vexat nec pituita nec quidpiam nidorofum, quod naufea, vomitu, ructu ardoris dolorifue fenfu fe prodere dicitur, quamuis ciborum appetentiam in plērisque auctam potius quam deiectam deprehendere poffis. Murmura quidem et borborygmi omnes fere angunt, donec flatibus excutiantur. Nec frequentiffime fentiunt dolores colicos lancinantes, quamuis interdum fubitanea punctionis perceptione aut in dextro aut in finiftro hypochondrio percuti male accidat nonnullis.

Melius valent, quibus arida aluus eft; theologorum exemplo, quorum b. ZIMERMANN mentionem iniecit.

Peffime autem quibus foluta profluunt et liquidiffima, vt Zeviano affentiendum fit, qui alui obftructionem aliquot dierum fpatio continuam hypochondriafi laborantibus

minus

minus noxiam esse iudicat ac diarrhoeam per nycthemeron assiduam. Multis quidem aluus adstricta est, nec nisi artis beneficio soluta, neque vero non ii etiam vehementer aegrotant, quos obstructio non molestat. Neque ad pathognomica signa pertinet lotium tenue aquosum, quum citrinum et optimae valetudinis indicium obseruare licuit, vbi dirissimo morbo vehementer excruciabantur.

§. IV.

Eiusdem argumenti.

At si quidpiam pathognomici signi locum occupare meretur, singularis est omnium communis anxietas, quam ipso dolore intolerabiliorem pronunciauit obseruator acutissimus, cui accedit oscitatio frequens et lassitudo et spiratio difficilis *). Hanc interdum omnino

*) v. SWIETEN l. cit.

omnino comitantur cordis tremor et palpitatio, arteriarum motus inaequales, plerumque parui, contracti, ſubinde intermittentes earumque in hac alteraue corporis parte ſingularis pulſatio.

Omnes denique infeſtat inferiorum partium conſenſu excitatus capitis multiplex dolor feriens, aggrauans, aurium tinnitus frequens, deinde vertigo, vt morbum attonitum inſtare haud inepte ſuſpicentur. Differt autem hypochondriorum cephalaea ab eo exiguae capitis patriculae dolore, quem clauum dicunt, et indole et durationis tempore, cum nunquam aut vix ſpatio breuiſſimo aegrum penitus deſerit. At dum caput calore et aeſtu vexatur, extrema frigent plerumque nec niſi raro aut nunquam aequalem in toto corporis ambitu calorem diffuſum ſentiunt valetudinarii.

Fieri

Fieri autem nullo modo poteſt, quin tanta aegritudinum varietate adfectum corpus animum commoueat perturbetque. Neque mirum ſubit, in tanta malorum caterua ideam inſurgere nouorum, eorumque quae caſu accidere poſſint metus continuus.

Attamen pro ſingulari aetate, ingenio, moribus et peritia haec ex animi imperio admodum variantur. Contra vero corpori penitus tribuendus eſt terror et angor, moeſtitia et metus et inuitum otii deſiderium, et quantum inualuit malum et melancholiae propius acceſſerit ingens animi conſternatio adeo vt in vna cogitatione pertinaciter defixus aeger nullibi morbum effingiat quem haud iniuſte grauiſſimum eſſe autumat.

§. V.

§. V.

Hypochondriacum malum et passio hysterica non est idem morbi genus.

Haec quum dirissimi morbi symptomata diligenter pensitauimus, facile accidere nequit, vt cum hysterica passione, cuius omnem differentiam in sexu multi posuerunt eundem morbum esse existumemus. Tantum enim abest, vt quam auctae systematis neruosi irritabilitati et sensibilitati aut spirituum ataxiae rectius tribuis hysterica passio verae hypochondriasi comparanda sit, quin pot.us quem iuxta propriam indolem morbum cum materie nuncupas, et alter quem ad neruorum principium totum transtulerunt singulare morbotum genus constituat et in vtroque sexu solus existere possit, cuius rei memorabile exemplum affert, qui de hypochondriaco malo multa egregie scripsit

vir ccl. HILDEBRAND *). Vt plures taceam. At a mera ſpasmodica affectione tantum diſcrepat, quantum iuſta phoenomenorum obſeruatione conſtet, continuum eſſe et diuturnum malum nec vnquam prorſus intermittere quibus aegroti cruciantur malorum ſyndromen, ſcilicet inprimis quae praecordia obtinet moleſtiam, pondus, anxietatem, atque dolorem et qui caput infeſtat et qui menti vehementer imperat.

§. VI.

Morbus eſt cum Materie.

Rectius ergo indicant, qui materiam mali adeſſe ſtatuerunt, eorumque affinem morbum, quorum in atra bile originem causſasque veteres quaeſierunt, id quod ſymptomata

---

*) HUFELAND *Iourn. d. pr. Arzneik. u. Wundarzn.* 1 *B.* 1. *St.* p. 36.

ptomata et vix medicatrix naturae et artis adminicula teſtantur. At de ſymptomatibus iam diximus. Quod ſi autem nondum inueteratum eſt malum, naturam ipſi mederi docuit obſeruatio, qua ſpontanea diarrhoea et copioſa excretione materiae craſſae tenacis ex viridi nigricantis perfecta criſis contigit, ſine qua autem variae aliae excretiones perfecte non iudicant.

Hanc methodum ars imitata feliciſſime adhibuit, quum nondum radices fixerit morbus et diaeta ſalubri ſoluente, corporis motu eoque medicaminum adparatu qui leni ſtimulo irritat, impacta reſoluit, eliminatque.

Vtcunque vero haec in recenti tantum malo locum habere intelligendum eſt, contra enim cum morbus adoleuit, et vaſa viſceraque infarxit, admodum dubitamus

eum radicitus tolli, quin potius facile exasperari credimus. Vt dein in ſopienda grauiſſima eius ſaeuitie adquieſcere oporteat medicum.

Noli vero putare, quum in fluidorum vitio morbum collocaſſe videamur, nos ſolidarum partium nullam rationem habere. His enim quantum fas eſt tribuendum eſſe duximus, nimirum a ſingulari ſyſtematis neruoſi ſenſibilitate pendere aeſtumamus, vt cum acceſſerit, aut quae a mente profiiſciſcitur, aut a rebus extraneis aut vario vitae regimine occaſio inimica, miram propemodum corporis mutationem efficiat et fluidorum pranitatem et viſcerum infarctus procreet.

§. VII.

Pſeudohypochondriaci.

A vero autem longe aberrant, qui omnem a paſtu inflationem, ciborum difficilem

lem concoctionem, cardialgiam, ventriculi ardorem, ructus, alui obſtructionem aut quamcunque mentis perturbationem et alienationem hypochondriaci mali titulo venditant. Exinde factum eſſe putes, tantum increuiſſe et quotidie augeri iſtorum hominum numerum qui morbo diriſſimo laborare dicuntur. Accidit eadem ratione, vt quod ſagaciſſimorum medicorum artem ſaepiſſime ſuperauit malum atrociſſimum, quinimo inueteratum leuiſſimo apparatu a multis vt dicitur victum ſit, ſcilicet iis qui id morbi genus aut non rite cognouerunt aut opera pertaeſi in eius naturam accuratius inquirere ſuperſederunt.

Non modo autem nimis anguſtus morbi conceptus et ſymptomatis tantum eſt interpretatio, quum dyspepſiam eſſe dicis hypochondriacum morbum ex inſigni ventri-

culi

culi atonia ortum, ſed etiam genuini mali ideae plane repugnat, quum haud pauciſſimi ſint eodem morbo aegrotantium qui plurimum concoquere valent. Nec id quod a paſtu peius valeant hypochondriaci hanc ideam de morbo vindicat. Quantum enim flatulentis crudisque diſtenditur ſtomachus vicina viſcera praeſertim vero hepar infarctum premit et ſanguinis per venam portarum motus difficultatem auget. Quamuis ergo quae in praecordiis obtinet moleſtia flatuum extricatione leniatur, multum tamen abeſt, vt tota ceſſat, quin haec potius vna cum reliquorum malorum caterua vti ſupra iam monuimus, aegrum nunquam penitus dimittat, cauſſa quippe morboſo in viſcere ſuperſtite. Ex quo denique exſurguut humorum motus animalia, et mentis et corporis afflictio.

Noui-

Nouimus quidem eos, qui hanc morbi rationem esse negant a vifceram obſtructione morbum vindicare, quod non ſit continuus, ſed intermittens. At hos vnquam hypochondriaco morbo laboraſſe nego, quibus, licet per breuia temporis interualla a morbo prorſus immunes eſſe contigit. Quorum autem, qualis ſit morbus, qua criſi iudicatnr, quae ſit integra eius cura ad noſtrum inſtitutum non attinet.